



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bericht Vom Bapst Johanne dem achten. Welcher soll ein Weib gewesen sein

Albertus, Laurentius

Dilingen, 1572

VD16 A 1588

Reverendissimo Et Illvstrissimo Principi ac Domino, Domino Othoni S.R.E.
Episcopo Cardinali Prænestino & Augustano, Domino & Præposito
Elvvacensi, domino suo clementissimo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35534

REVEREN
DISSIMO ET ILLV-
STRISSIMO PRIN-
cipi ac Domino, Domino O-
thoni S. R. E. Episcopo Car-
dinali Prænestino & Augu-
stano, Domino & Præpo-
sito Elvvacensi, domi-
no suo clementif-
simo.



PERVENIMVS TAN-
dem & incidimus in ea tempora,
Reuerendissime & Illustriss.
Princeps, atque rerum mutatio-
nes eiusmodi experti sumus, quas nec multis re-
tro seculis orbi Christiano ita cumulatè conti-
gisse, neque maiorum quenquam simul exper-
tum esse historia testantur, idq; bonis uiris, qui
& nunc & sepe antea magno præsidio reipua-
blica præfuerunt, affirmantibus. Quid enim mi-

A 2 seriarum,

EPISTOLA

seriarum, uiolenta illa schismaticorū ruina, & discessus ab ecclesia iam olim per sanctos Dei uiros prædictus non secum trahit? Quid non eluxare, & ex imis fundamentis commouere tentat? Cunctis quidem temporibus impugnata esse præstantiam sacrorum cultuum, & ceremonialium figurarum, rarum non est, sed hodie non his tantū, imò etiam ipsi Deo contumaces quidam bella multo tumultu indicunt, ac dū hæc machinantur, omnis fortunæ fluxus, luxus & impietatis causa, penes eos maximè ad extremam usque guttam defecit & exaruit.

Tanta enim est erga mortales uiolentia & rabies satanæ, adeòq; nõ est euitabilis bilis eius, ut nec ecclesia, sponsa Dei immaculata, nedum ullus inter homines status ab ipso tutus sit, adeò crebros incursum ursum ille nunquam satis satur in gregem domini facit. In quem, si unquam, profectò hodie seuisimam tyrannidem suam maximè exercet. Atque proh dolor tantorum malorum origo, hoc tempore in Germania patria nostra (superiorib: seculis in pace quietissima & pietatis studiosissima, nunc uerò maxima ex parte ab eo laudis fastigio delapsa) primum sumpsit initium.

Optime

DEDICATORIA.

Optime Deus quot inde torrentes, quot fluctus omnis mali, uersus cunctas mundi plagas proruperunt? Pœniteat nos spectatores, pudeat authores tanti mali, quorum petulantia ab eterno illos carcere arcere aut excusare non potest, quamuis à sese rem præclare gestam existiment & iactent. Res certe pijs uiris summopere deploranda, & lachrymis continuis digna, eoq; magis lugenda, quò tantarum confusionum occasionem sibi diabolus, pluribus ex mendacijs quàm ueris causis decerpfit. Hæc autem sunt euangelij uexilla illa, & libertatis trophæa, quæ primum promittebant, cum tamen quæ in faciem faciunt, in recessu ne medullam ullam habeant.

Non caret quidem genus humanum peccatis, quibus multas sibi pœnas, & exdōice mala accersit, ac Christianus quilibet ea patienter ferre & merito fateri debet, quod à Deo iusta quadam sententia huiusmodi pœnæ immittantur. At interea mentiendo Ecclesiam deformare, ueros Dei cultus destruere, mundo sub ueri prætextu falsa offundere, multaque hominum millia in Orcum demittere, & ad tanta

A 3. hæc

EPISTOLA

hæc mala quasi cōnuēdo submutescere, tantū in bonorū cordibus dolorem excitat, quantum uix propriæ uiuæque carnis dissectio parit. Nec scire puto homines prophanos quid loquar, nec sciunt impij & fatui quo animo hæc dicantur. Trismegistus enim ille heresiarcha, à quo sua Zwingliana & Anabaptistica sectæ oriuntur altius animis eorū insidet, & mentis lumen uelo quodam furoris sui subinde obfuscatum retinet. Sed qui eodem nobiscum zelo erga religionem afficiuntur, tanto melius hæc intelligunt, & collatis cogitationibus nostris rectius suos affectus regunt.

Deplorant quidem aduersarij lacerum & commotum huius seculi statum, sed quia affectibus obscurant iudicium & ἐπιθυμιῶν cupiditas uidelicet regit ἡγεμονικῶν sensationem, ideo falsæ sunt ipsorum lachrymæ, & inutiles querelæ; dum enim hoc simulant, dissimulant aliud. Hæc uerò penitus considerare, nec meum neque cuiusuis est, non enim omnes hisce rebus cogitandis aptos sese aut cōmodos præbent, solis autem humilibus, & quibus religio cordi est, Deus dat gratiam, ut uera à falsis

DEDICATORIA:

falsis discernere, illaque sectari & amare, hæc uerò execrari & uitare discant.

Verùm generaliter ista iccirco recenseo, ut R. C. T. & lectores quilibet commodius intelligant, qua causa, quâue occasione animum ad scribendum de rebus ecclesie turbulento hoc tempore in controuersiam & contemptum uocatis applicuerim. Cùm enim inter multas impias hereticorum factiones constitutus ad catholicos me conuerterem, & ex conuersatione ac lectione catholicorum doctorum, oculos ad quælibet antea facta & credita uitia cæcutientes sanari & aperiri sentirem: pluresaque cernerem ab heptacephalo Luthero ortos, qui non unam eandemque uiam ad uitam docerent, quomodo Lutherus ille nocentissimus aper in uinea domini, docuisse à me primum credebatur, quodque ex illius uarijs, dubijs ac diuersis, & in omnem partem diffusis disputationibus alius aliud apprehenderet, pro seminataeque essent infinitæ ferme familie dissentientes inter se & multum disiunctæ ac dispares, quarum quælibet heres heresis Lutheranae erat, & propterea omnes illæ euangelicas se

A 4 & dici

EPISTOLA

& dici uellent, & esse arbitrarentur, eò namque
 que res illarum delapsæ erant, ut quemlibet
 ferme Christianū Lutheranum, non Christum,
 sed Ianum aut aliud aliquod idolum colere fas
 cile animaduerti potuerit, quàm minimæ enim
 hæresis reus, cereus est in uarias opiniones
 flecti, & qui semel extra ecclesiæ metas profu-
 lit, contentionis deinde semper cupidior est,
 quàm ueritatis: Cæpi ergo cogitare, utrum
 ueritas inter tot dissensiones consistere possit
 (namque per diereses hæreses produci non
 ignorabam) Vtrum etiam liceret catholicos
 (quos per contemptum tum Papistas uocabam)
 audire, indèque ceu ex duro chalybe scintillas
 ueritatis excitare. Neque enim tot dissectis
 sectis cogitabam me conuiuere posse, quia
 semper ausculto culto ueracique doctori ma-
 gis, quàm ijs quorum bifida imò multifida fi-
 des est. Quæ cogitatio sicut diuinitus inspira-
 ta fuit, ita foelicissimè cefsit. Iamque ne repera-
 ta ueritate (quæ illis ex perpendiculari repua-
 gnat) tanquam ingratus fruerer, in scriptionem
 erupi, ut si modò unicum hominem, lectione
 meorum scriptorum conuerterem, Deo accepti-
 tior

DEDICATORIA.

tior essem, & pluribus coram eo intercessor-
um precibus iuuarer. Et si autem in tanto
uitæ genere, tamque periculoso confictu, meæ
eruditionis exiguitas me non latet, attamen
scrutator ille cordium nouit, quid mea imbec-
illitas in testimonio ueritati catholice per-
hibendo uellet, si posset. Quidque ego spiritus
sancti auxilio possem, si uocatus essem. At quan-
quam laicus sum & ciuili disciplinæ deditus,
nec inter clericos ascitus, quibus docendi mu-
nus incumbit: Scio tamen quod non cum clerici-
cis, sed maxima ex parte cum laicis aduersarijs
mihi concertandum sit, qui petulantissima in-
nos parant & arant scripta. Et cum aliud
prorsus sit docere, aliud item ueritatem iam
ex aliorum documentis acquisitam propa-
gnare, ea de causa ab hoc scribendi genere, quod
πρόλεξις dicitur, abstinere non potui, ob
graues mihi & alijs utiles causas. Nec me
instituti huius poenitet, renitet enim hodie
ueritas aliquibus etiam nostrum tacentibus, ut si
uerum teneamus, eamus necesse sit in sententiam
Catholicorum.

Intellexit itaque R. C. T. ex propositio-

A 5 nibus

EPISTOLA

nibus meis, Reuerendissimo Frisingensi Praesulz
ante biennium oblati (quas Reuerendus &
nobilis uir dominus Ioannes Aegolphus à Knös-
ringen patronus meus obseruandus Romæ
Italico idiomate recusas, tuæque R. C. à trans-
latore dedicatas mihi exhibuit) quod tardius
& egrè quidem ad Catholicam Ecclesiam ac-
cesserim, apud Lutheranos nimirum natus &
educatus, ita tamen ne prorsus restiterim uo-
cationi Dei, namque uoluntas uolentes trahit,
nec inuitos in uite Christo inserit.

Cùm autem confessio fidei in uero Christiano,
non tanquam lucerna sub modio latere de-
beat, toto enim conatu erumpendum ipsaque
fides auita magno animo defendenda est, ut id
quod corde creditur per fidem, non in nuda fide
tantùm acquiescat, quæ illis est pro alis, uectibus
& rotis, quibus in celum euolare frustra &
stultè contendunt, sed ore proferatur, & in spe
deum inuocet, perque charitatem operando
expleatur. Quæ cum pro meis uiribus citra
iactantiam præstarem, factum est ut aliqui erga
catholicam religionem & sanctam Ecclesiam,
alios in me mores & obedientiam deprehendes-
rent.

DEDICATORIA:

rent, proptereaque ex simplicitate maiorum,
ex euangelij Lutherani cōtemptu, uel Papistica
adulatione sine ullis uel rationibus uel firmis
argumentis id me fecisse criminabantur. Quid
hic faciendum erat? Profectò mea saltem fama,
si non ipsa Ecclesia defendenda fuit. Quis
enim apostata, quis adulatoris Papistici, quis
impij contemptoris uerbi Dei nomine, infamia
que libenter grauaretur, si exquisitis rationi-
bus Dei & suum honorem uindicare posset, ab
ijs hominibus potissimum, qui ipsi infideles ac
Dei & Ecclesie contemptores sunt, & nobis
tanquam hedi ouibus intermixti quotidie ob
oculos uersantur? heu ruinam destructionemq;
ouilis Christi, in quo pastores ipsi lupos ouibus
nocentissimos sustinent & alunt.

Sunt autem *λυκῶν ἄγρωπαι* illi nimium fasci-
nati, qui cum ex hypocrisi quadã, nostris concie-
onibus nōnunquã intersint, nullo modo credūt,
quod uerbū Dei per nostros sacerdotes prola-
tum, ipsos uel alios seductos reuocare possit.
Neque enim ut simpliciter doceri uelint, sed sub
conditione ut plurimum accedunt: si uidelicet
hec uel illa placuerint, accepta erunt: quæ uerò
suis non sapiunt auribus, pro reiectis habent,

EPISTOLA

Interim tamen suis logodædalis plenissimè credunt, nimiumque fidei adhibent: Ad illos enim deficere laudis est, ad nostros redire infamiam esse aiunt. Videt ergo quilibet bonus, quo animo inter nos uersentur, si enim conuersionem exoptarent, non exprobrarent nobis illam. Ac ueluti illis frustra fiunt conciones, ita nos quoque infructuosos inde redire existimant, quasi uerbum Dei inefficax sit, quasi cauillandæ non conseruandæ essent conciones, quasi automatos nec pneumatodidactos nos esse deceret. Dolemus autem tantas hominum tenebras, & summo cum stupore admiramur, quam ratione nostra politia & conuersatio in aliqua tranquillitate adhuc consistat, Deoque gratias agimus quàm maximas, qui, sicut multa retro secula testantur, suos semper in summis calamitatibus & periculis conseruauit, ita in medio inimicorum etiamnum sua sibi membra & Christianifideles auditores colligit.

Primum ergo opposuissem irrisoribus imò osoribus illis pro defensione mea prolixas & explicatissimas causas, sed detinuit me uerecundia, ne dum uerbosus essem, ab utilioribus scriptis lectores auerterem.

DEDICATORIA:

Produxi itaq; nudas (quas dixi) propositiones, quæ capitum summæ & argumenta duntaxat erant, eo tamen animo, ut si nude non sufficerent excacatorum hominum blasphemijs, successiue & inter alia studia, horis alternis, ille præcipue dilatarentur, quæ hætenus uel minus copiose, uel ijs argumentis, quibus hodie opus est, nondum amplificata essent. Diuersa enim tempora, alia item hominum ingenia, diuersas rationes uincendi requirunt, nec sufficit semper una eademq;, et si satis luculenta et splendida disputandi ratio.

Sic quamuis illa ex ordine prima non erat, uisa mihi tamen est primo loco amplianda, quæ hereticis absurda & inconcinnitates fidei anomalas & absonas obijcit. Atq; illum libellum ante annum emisi.

Nunc autem ut contumacia et temeritas aduersariorum requirit, existimaui patrum (ad quos prouocabam in thematib.) testimonia & polemica quadam scripta producenda esse, in cuius rei auspiciis, uerti tractatum Tertuliani de præscriptionibus aduersus hereses, quem marginali appendice nostris temporibus applicui.

EPISTOLA

applicui, plura eius generis aspirante Deo, in
lingua nostra producturus.

At in hoc libello mendacia quædam aduersa
fariorum diluo, (id quod in thematibus similiter
promittebam.) Sed ex multis quibus tanquam
Cimmerijs tenebris circumfusi sunt, duo insi-
gnia presenti instituto discutere & refutare
proposui. Bella profectò fabellæ ac hæreticis
authoribus dignæ, quorum semper sola fides
fide chordiq; pererrat eadem, nec uariat nisi
si dicere falsa solet. Sicut enim inania flabra la-
bra Lutheri flabant, sic omnes antecessores &
sequaces eius erga Ecclesiam affecti sunt, quo-
rum in medio, ille tanquam Imperator inces-
sit, in quem conspuerunt hæretici omnia mala quæ
fuerunt, quæ sunt, quæq; futura sunt. Temerè
autem hætenus nimiumq; licenter affirma-
runt, quod Ioannes Octauus Pontifex Roma-
nus, non mas sed scemina, non factus sed fictus,
nec simul ratus, sed simulatus sacerdos & Pon-
tifex fuerit. Quodq; D. Vdalricus (quem uete-
ri etymologia Huldénrichum largum gratis
diuitemq; fauore nominant) episcopus R. C. T.
diocesis 2. 1. Epistolam suasoriam ad Nicolaum
primum

DEDICATORIA.

primum contra cœlibatus uota scripserit. Has fabulas contra ἑρμῆος λόγους illos per circumstantias precipuas examinaui, & quòd mera figmenta, nihilq; nisi lutum et argilla illa omnia sunt, simplicioribus euidenter ostendi.

Quid autem non faciunt hostes Ecclesie mendosum? in quorum historijs scripta multa sunt, quæ facta non sunt, qui dum expoliunt orationem, rationem lectoris conturbant, ac sicut chorda corda mouet, & facies uenusta onustat mentē oculos adijcientis, ita splendor heretici sermonis latens uenenum contegit, & fallaci quadā dulcedine illinit, quod in hisce pluribusq; alijs fabulis præstitum esse ab Hereticis cõstat.

Est quidem prior fabula satis doctè ab Onuphrio Panuino refutata, in cõmētariolis quos Platina subiunxit: Alteram uerò de ficta Vdalrici epistola, Alanus Copus & alij deterfo & resolutò hoc luto impugnarunt, quapropter opus non erat, ut refutationem meam, latino exararem stilo. Nostris enim Germanis scripsi. Alij porrò si harum rerum ueritatem desiderant, consulant iam memoratos & alios auctores, qui satis disertè & expeditè, quanquam
minus

EPISTOLA

minus copiose, contra eos disputant. Ego autem
 tem latius quodammodo & amplius, minus tamen
 politè negotium perstringo. Quod namq[ue]
 rationes non euincēt, orationis splendore apud
 induratos illos uix obtinebitur, quanquā utraq[ue]
 si conueniant, ad persuadendum uim maximam
 habent.

Atq[ue] interim dum hæc qualiacunq[ue] officia
 matri Ecclesiæ defero, simul ad consueta Iuris
 prudentiæ studia me recipio, ex quibus dante
 Deo nouam contra hereticos panopliam pro
 ducturus sum. Adeò enim non abhorret Iuris
 prudentià Theologia, ut sicut inferior est, ita
 multum illi famuletur. Nam de æquitate quæ
 in aduersarijs uehementer desideratur pluri
 mum disputat, atq[ue] illos multis in rebus, secun
 dum rigorem suum damnat, Ecclesiæ statuta
 imitatione dignatur, eaq[ue] confirmat & custo
 dit, canonibus & hierarchiæ Ecclesiæ summos
 defert honores, Hereticos, quorum profectò
 aliud nil est nisi inuiam uiam facere ad regnum
 coelorum, describit, conuincit ac damnat. Inha
 bilitatem predicantium ad actus Sacerdotales
 non admittit, quia non sunt sacerdotes nec uerè
 pastores

DEDICATORIA.

pastores, pistores uerò & artocopi sunt, qui solum panem pinsunt, & populo loco corporis Christi exhibent. Consuetudini etiam Iurisprudentia non minus ac legibus scriptis innititur. Ad subeunda officia illotum & ineptum neminem, nec sceminas ad officia politica nedum ecclesiastica admittit, quæ cum publicè student docere & canere, nere potius domi deberent. Successionem etiam stabilit, & legitimos ecclesiæ iudices defendit, Patrum Concilia approbat, Dubia ritè discutere docet. Seditiones & conuitia ac huiusmodi alia uetat, quibus adeò polluti sunt aduersarij, ut nil aliud nobis nisi dirasque irasque precentur, & continuo sese uitij nostris ti tillent. Sed mehercule illa cuiuslibet uitij commemoratio ratio non est cur à nobis deficiant, dum enim singula deuerunt, euertunt omnia. Sed & sacrilegia uehementer disciplina legalis prohibet et punit: ex sacrilegijs autem ipsorum pingue uentris ab domen, omen est male pietatis. Præterea sancit & defendit consecrationem locorum, & rerum diuinis usibus adhibendarum. Stupra & raptus atque crimina læsæ maiestatis aduersarijs supra mo-

B dum

EPISTOLA

dom usitata extremis supplicijs affligit, bella iniusta eorum prohibet, qui cadere quam cedere malunt. Docet hereticos non audiendos recipiendosue esse. Absurda vitare precipit, dissentientes conciliat, contra ius extorta annihilat, Priuilegia clericorum ecclesiarumque summo opere defendit, Transactiones & pacta iusta seruare iubet, iniusta annihilat. Contra ecclesiam nec pactum nec praescriptionem ullam admittit. Semel deo dicata repeti non sinit, Fraudes dolosq; aduersariorum punit, sub quibus damnatio longè lateq; latet, quam nec satis scio effari, efferi enim illa à nullo sufficienter poterit. Factum alterius alteri obesse non permittit. Docet etiam, ubi nã uerba, ubi uerò sensus retinendus sit. Vigilantibus nobis succurrit. Nulla Hereticis priuilegia praestat. Concubinatum non approbat, sed casus circa eum accidentes decedit & terminat. Exequi legum cano- numq; statuta mandat. Et centum alia huius generis beneficia sacrae Theologiae praestat, in quibus methodicè conscribendis, aliquis, nisi ego absoluero, operam utilissimam insumeret.

Sed hæc ipsa de alio & futuro argumento
forsitan

DEDICATORIA.

forsitan fuerunt nō necessaria, ut hīc recitarentur, ad præsens igitur institutum redeo, atque propter causas patissimum duas R. C. Tuae, libellum hunc offero, quarum altera Reuerendissimæ C. T. personam concernit, altera uerò urbem respicit, ubi nunc R. C. T. residet, & in qua summa sedes est, rectorix Catholicæ Ecclesiæ. Cū enim scriptorum iudices & defensores tales undiquaque ab authoribus circumspiciantur, quorum authoritas magna sit, quiq; in iisdem rebus sint uersati, & maxime præpols leant? Nullū sane ex patronis studiorū & religionis, quos Germania hactenus tulit, magis ad hanc rem deligeret quisquā, nisi Reuerendissimam C. T. Quid enim illa tot annos iam pro uera religione decertans contra aduersarios fidei, à primis illis mutationū temporibus non præstitit? In ore est omni populo Reuerendissimæ C. T. authoritas cum prudentia & grauitate in rebus agendis coniuncta, summaq; diligentia & dexteritas in propugnanda fide catholica, ut ex rebus ipsis ipsoq; euētu & successu, haud immerito Germaniæ Protectoris titulū consecuta sit. Accedit ad hoc uiuum testimoniū,

B 2 ab om̄a

EPISTOLA

ab omnibus horum temporum doctis & prudentibus uiris, Reuerendissimæ C. T. perhibitum, historica etiam uirtutum eiusdem commemoratio honorificentissima, quæ nunquam moritura in perpetuum durabit. Et præter hæc accedit Reuerendissimæ Cels. Tuae præclara dignitas, qua in summum orbis Christiani Senatū ascita nunc potitur, ideoq; qualemcunq; meum laborem, tanto facilius summis uiris commendare poterit.

Cumq; utraq; à me refutata fabula non leues aut nullius æstimationis homines, sed summam & hierarchicam Ecclesie dignitatem conspuat, atq; illa de diuo Vdalrico, R. C. T. diocesis Episcopo et antecessore, reuerendissimis Episcopis omnibus, qui sanctum Vdalricum secuti sunt, non parum detrahat, Idcirco uel maxime R. C. T. propositi mei iudicatricem tutricemq; elegi.

Incidit S. Vdalricus in periculosa & bellis undiq; commota tempora, multos etiam tum offendebant mores utriusq; status laxiores, in quibus extirpandis fidelissimè laborauit, plurimumq; annixus est totos quinquaginta annos, attamen fama eius integra ad posteros propagari

DEDICATORIA.

gari non potuit ob maleuolorum hominum iniuriam, quid enim temeritas hostium ueritatis non audet? Nec minus autem R. C. T. annos haecenus plurimos fideliter & strenue sese gessit, neque tamen, sicut ne quisquam alius, sibi promittere potest, quod suum nomen ab osoribus et Religionis orthodoxae contemptoribus integrum illibatumque ad posteritatem transmittet. Virtutem enim inuidia & obrectatio, non secus ac umbra corpus ad clarum solis splendorem comitatur. Tua ergo R. C. scriptum meum benigne amplectatur & defendat, in quo diui Vadalrici integra authoritas (in mendacio illo impugnata) conseruatur, et habebit qui aliquando obrectatorum suorum ora obstruent, praemia etenim digna, & operibus conuenientia, Deus suis rependere solet.

Altera dedicationis causa à respectu et consideratione urbis Romanae sumpta, imò potius ab ipsa affectione, qua Christianus quilibet erga eam duci iubetur (in qua nunc R. C. T. haeret, & cuius magna pars est) me ceu patriae praemium pietatis offerre coegit.

Quis eam non laudaret, non admiraretur? quae

EPISTOLA

cum amplissima & florentissima olim esset, omnibus hominibus admirationem quandam incussit, quando enim ingentem eius magnificentiam, regium splendorem & incredibilem tot molium, totq; ornatissimarum domorum ambitum & situm uiderent, sepius cum stupore dubitarunt: Vrbs an in orbe aut orbis in urbe iaceret. Hodie inter tot rudera, collapsaq; antiquorum monumentorum fragmenta, uix splendoris illius umbra tanquam fortissimi uiri cadauer cernitur. At sicut omnia quæ penes illam acciderunt mystica, & in specie ita à Deo præordinata fuerunt, ut esset tandem certus sedis Apostolicæ locus, tutumq; rectorum Ecclesiæ domicilium, ita hodiernam urbis faciem, non carere arcanis & abstrusis quibusdam speculationibus puto. Quod enim inter tot rudera, ipse Petri successor cū senatu suo, & ordine Cardinalitio, cumq; tanto Clericorum numero, certas adhuc sedes occupat, indeq; toti Christianismo leges sanctas & salutare prescribit, firmam et stabilem eiusdem Ecclesiæ perduratiōem significare existimo, quæ dum mundus ad inclinationem uergit, inter tot regnorum Ecclesiarumq;

ruinas

DEDICATORIA.

ruinas ceu circumcirca iacentia cadauera sola uiuit, ut historie & euentus testantur, sola secundum prophetias immobilis inexpugnabilisq; est, solaq; leges sancit & prescribit. Quid hac certitudine firmitus? quid cogitationibus hisce iucundus? quid sedi Apostolicae gloriosus?

Hanc autem communem omnium patriam, *L. Romam,* esse, extra controuersiam est, & *Iurisperitorum* authoritate ac testimonijs probatum affirmatumq; fuit, non saltem propter foelicissimos eius successus, bellorumq; fata benignissima, quibus totum penè orbem subegit, et extreme monarchiae Religionis tutrici suum imposuit nomen, quod similiter cum religione ad finem mundi usq; retinebit: Sed propterea etiam potissimum cõmunis patria dicenda est, quia nos Christi fideles, communem nostrum patrem ibidem habemus.

Huic licet homines inferioris sortis nihil addere, nec nomen eius ornare, aut quicquam ad splendore illius producere possunt: Magnae tamè affectionis, & pietatis haud uulgaris signũ est, si quis pro ea defendenda, nominisq; & authoris

EPISTOLA

tatis eius conseruandæ causa, uel aliquid in me-
 dium afferat. Fore ergo R. C. T. saltem hoc
 nomine & proposito gratum laborem meum
 omnino confido & mihi persuadeo, R. C. T. hu-
 militer rogans, ut non modò ob commemoratas
 causas me commendatū habeat. Sed ex Reuerēdi
 ac nobilis uiri, Domini Ioannis Aegolphi à Knö-
 ringen testimonijs, quibus coram R. C. T. studia
 mea honestissimè ornat, eademq; nunc etiam li-
 beralissimè iuuat et prouehit commendatiorem
 me alijs commendet. Et suam mihi Ecclesiæ ab
 ortiuo membro benedictionem clementer tri-
 buat, ut (quod in hac uita unicè opto) Apostoli-
 cam sedem, tot sanctis reliquijs, martyribus,
 confessoribus & rectoribus honestissimisq; cle-
 ricis, ac pijs Christianis ornatam, decoratam &
 auctam dignè accedere & perlustrare queam.

Oro autem omnipotentem Deum, ut det in-
 crementum Ecclesiæ, & sicut aurora rorat dul-
 cissimum manna, ita ille rursus nobis instillet
 unanimatis & tranquillitatis fecunditatem.
 Faxit etiam ut cum apud Germanos Ecclesiæ
 res ad restim & ad extremos remos fermè pers-
 uenerint, multi rursus ad hanc Ecclesiam acces-
 dant

DEDICATORIA

stant alacriter, acriterq; pro ea, quilibet in suo genere pugnent. Plerumq; autem ita fit, ut dum Christum amplectimur, plectimur à mundo, sed quid tum? nemo pòl existimet quod hic queramus ampullas ullas, sed desideramus amuletum letum illud & salutiferum, quod contra omnia nostrorū hostium uenena nobis promissum est.

Interim Reuerendissimam C. T. auxilio & praesidio omnipotentis DEI commendo, eadem ob multas Ecclesie utilitates uitam longā, senectamq; omni molestia carentem optans.

Datæ VVirtzburgi Ostrofrancorum Metropoli, ultima Nouembris diuo Andree consecrata. Anno

1572.

R. C. T.

deditissimus
minister

M. Laurentius
Albertus.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher due to its orientation and fading.

Additional handwritten text, also appearing to be bleed-through from the reverse side of the page.